TRINUM GAUDIUM,

Quo

In Nuptiis

Nobilissimi atque Doctissimi

D O M I N I

HENRICI Benigken/

Mariæburgensium Secretarii,

Et Juris Pract. dignissimi,

Cum

Femina omni virtutum elegantia maxime exculta

ELISABETHA,

Vidua Erdmanniana,

D. *XXII.* Novemb. A. cIↄ Iↄ cc *XII.*

Mariæburgi habitis,

Afficiebatur, lætoque id omine ac votis prosequi volebat

Fratrum Sobierayorum Triga.

T H O R U N I I,

Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SENAT. ET GYMN. Typogr.

BIs nondum est exorta soror pulcherrima Phœbi,
Benike cum lecti socialia jura subiret,
Sacratoque sibi sociaret fœdere natam
Eggerti, pulchræ ac omnis virtutis amantem.
Hoc certe memini: nam tunc gratabar amico,
Pierioque illum cantu celebrare jubebar.
Nuncius ast iterum gratissima nuncia nobis
Affert, quod iam iam Tilemanno detur amica:
Et quod cum nata Schmidii, quæ nupserat olim
Erdmanno, thalami fœdus componat amicus.
Dic, quæso, an nobis quicquam iucundius isto
Esse queat casu? cum iam iam gaudia terna
Obveniant nobis. Fas ergo iuraque poscunt,
Successu fausto ut cuncti lætemur amici,
Ac hilari vultu prodamus gaudia mentis
Certatim: Mariæburgi id facientibus illis,
Qui, cognate, tibi consangvinitate propinqui,
Quique tibi longo fuerit coniunctus amore.
Non melius vero id fiet, quam carmine scripto.
Carmina scribemus, tenui ludemus avena.
Qui licet indocti versus, e simplice corde
Provenisse tamen reputes, fucoque carere.
Vos quoniam, fratres gemini, germanaque fratrum,

German

Germano vobis bene scitis sangvine iunctos,
Optatis, vestris consensum rebus inesse,
Atqve parare anno tædas nunc vultis eodem.
Id qvare fiat, facile perceperit omnis.
Semper vos ardor mutui coniunxit amoris,
Inter vos semper viguit concordia dulcis,
Sollicitumque fuit mutui certamen amoris.
Qvid mirum iam iam cerni certamen amicum,
Vosque nec in tædis celebrandis cedere fratri.
E vobis qvisqve ad sponsum sponsasqve fideles
Sinceras veri flammas deducit amoris,
Quas huc usque inter germanos atque sorores
Prominuisse scio. Qvivis certamen inibit,
Ut prior esse queat, cui surgat mascula proles,
Quæ cor dilectæ tacita dulcedine matris
Impleat, & celebrem claro cum nomine famam
Maiorum ad seros possit deducere natos.
Concordi, fratres, fecistis singula mente:
Vos etenim in vita doctus coniunxit Apollo,
Et Themidis iustæ studiis incumbere iussit.
Tendere vos etiam in terras voluistis easdem.
Intra annum patriæ vos retraxere penates.
Tempore vos uno decoravit cura senatus,
Secretarius hic, ille ut Notarius esset.
Tres intra menses iam iungi fœdere vultis
Dulcis coniugii. Qualis concordia fratrum?
Ni scirem, vos germanos, nostrosque propinqvos,
Castora Pollucemque pium vos esse putarem,
Qvi pariter se fraterno dicuntur amore
Complexi, sic, ut nemo qvid vellet habere,
Ni prius oblatum & fratri, novisset & alter.
Noluit ipsa soror vestris concedere rebus,

Sed

Sed ſimul ac frater iungebat fœdere dextram
Connubii, illa parat thalamum lectiſſima ſponſa
Dilecto ſponſo, quem deſtinavit Olympus.
Proſperitas triplex: vix hæc absque omine fiunt,
Fratribus eſt eadem ſors, quæ pergrata ſorori
Accidit: obveniunt nobis iam gaudia trina.
Sic, qui tam pulchro nexu vos iunxit amoris,
Ac uno voluit claro de ſangvine naſci,
Atque ſuæ tribuit curæ tot ſigna benignæ,
Creſcere vos iubeat Deus. Et nunc vincula pulchra
Firmet, de cœlo præbens ſua munera curæ.
At cum ſpectamus, patriæ te, ſponſe, ſaluti
Deſtinatum, ergo votis contendimus omnes:
Te Deus ut ſalvum caſu conſervet ab omni,
Conatusqve tuos ſemper ſic dirigat ipſe,
Ut patriæ ſpectare qveant ad commoda terræ,
Acqvirantque tibi meritos virtutis honores.
Vivite fauſti omnes, & terqve qvaterqve beati,
Rideat & vultu ſemper fortuna ſereno.
PerLongæ VItæ DVCatIs teMpora Longa.